

† Adm. R. P. Ioannes Adamo (1881-1935)

(Prov. Neap.)<sup>1</sup>

Provincia Neapolitana, quae his ultimis temporibus haud paucos amisit Patres prorsus nondum senes, nuper in novum gravem luctum incidit praematura morte Superioris domus Francavilla Fontana, annum agentis 54.

Ioannes Adamo ex eadem Lucania, qua S. Gerardus Maiella, ortum duxit et natus est in loco Albano Lucano d. 28 Nov. 1881; votis nuncupatis d. 2 Febr. 1905, studia altiora continuavit partim in eodem collegio Iuransensi, ubi novitius fuerat, partim Abellini. Die 22 Oct. 1911 ad sacerdotis dignitatem ascendit.

Inde ab initio demonstrans animum vere apostolicum, operi sacrosanto missionum sese totum devovit, praesertim in Calabria. Multoties ipsi magna contio vespertina habenda erat, unde vires eius ante tempus exhaustae sunt. Erat vir pius, affabilis, benignus, regularis observantiae exemplar.

Medio a. 1933, post sollemnia nostra bis centenaria<sup>2</sup>, nominatus est Superior domus Francavillanae, in qua iam fere per octo annos antea steterat. Speciosum templum<sup>3</sup> a civibus et exteris plurimum frequentatur, adeo ut Patres communitatis singulis diebus usque ad meridiem in sacro tribunali detineantur. P. Adamo ibi sodalitatem Cordis Eucharistici instituit, nunc iam valde florentem, et pro viribus cultum divinum promovit. Sed priusquam triennium suum complisset, malum inexorabile (cancer stomachi) eius vitae terrenae finem posuit.

Licet naturam morbi ipse ignoraret, tamen, ubi status sui gravitatem cognovit, totum sese voluntati divinae subiecit. Dolores, quos confrater carissimus perferebat, ultimo triduo, ergo inde a Dominica Passionis, cre-

---

<sup>1</sup> Necrologium hic inseritur, non attento ordine Provinciarum officiali, quia paginae praecedentes iam in typographia compositae erant. Cfr. etiam *S. Alfonso* (Paganani) VI (1935), 136; *La Voce di S. Alfonso* (Francavilla Fontana) IX, 103 (Marzo-Aprile 1935).

<sup>2</sup> In *Analectis* XII (1933), 236, in photographia festivitatis Paganensis, P. Adamo est primus a sinistra.

<sup>3</sup> *Analecta* XII, 276-279.

verunt usque ad summum. Praesentiens itaque finem proximum, paenultimo die vesperi convocavit ad se subditos et duos quoque hospites, R. P. Salvatorem Di Coste (pristinum Superiorem suum sibi veneratissimum et in munere praedecessorem) et R. P. Postulatorem Ben. D'Orazio. Primum, obsequens voto Provincialis, unum e duobus Patribus communitatis renuntiavit Ministrum seu Vice-Superiorem, id quod eousque ob exiguum eorum numerum nondum fecerat. Deinceps humillime rogavit omnium culparum veniam et adstantium orationes et suffragia. Voluit etiam uniuscuiusque sacerdotis manum osculari eiusque benedictionem recipere. Tandem ipse omnibus praesentibus — sane valde commotis — suam benedictionem impertivit. Postero die, qui fuit d. 9 Aprilis, hora 11,30 loquelam amisit. Ultima eius verba fuere: *Il Signore vi benedica*. Mente autem sui compos mansisse videtur, donec post agoniam acerbam h. 18 in pace Christi exspiravit.

Confratris defuncti exsequiae evasere verum plebiscitum, quandoquidem tota fere civitas cum variis suis magistratibus et sodaliciis intervenire satagit, ita ut vastum templum minime omnes capere posset. Feretri funes iuxta morem loci gestabant, civium praefectus et prima Capituli Collegiati dignitas et Superiores duplicis rami Fratrum Minorum. Florum quoque copia eloquenter manifestabat, quanto venerationis et amoris affectu cives Francavillani P. Ioannem Adamo prosequerentur. R. I. P.